Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

tortores tui defecerunt. Fiducia tua
destructa est. Tyrannus maximianus
devictus pariter cum diabolo confusus est. Quan-
tum ergo exterior homo meus corrumpitur
de plagis tuis: tantum interior ad fu-
turam et sempiternam gloriam renovatur.
Cum hec martir dei dixisset, vox de celo
facta est dicens. Veni iam requiesce
suscipe paratum tibi regnum fortis a-
thleta et miles meus bache. Astites
vero audita voce expaverunt et hebe-
tes facti sunt. Ipse vero dum diu cederetur
animam angelis suscipientibus reddidit.
Videns itaque videre quod devictus fu-
isset, iratus prohibuit corpus sancti
martiris sepeliri: sed canibus et bestiis et
volatilibus extra castrum precepit ex-
poni. Et exurgens impiissimus de loco
quo sedebat abiit. Corpus autem beati
bachi cum procul extra castra iactaretur,
multitudo bestiarum collecta circumde-
dit eum. Volatilia autem desursum non per-
mittebant ut corpus sanguinarii vora-
ces contingerent. Cum igitur usque ad vesp-
am profundam sancti corpus volatilia cu-
stodirent, sero autem facto descendissent
quidam ex hiis qui ibidem erant, et in spe-
luncam corpus sancti viri tulissent atque se-
pelissent, prosequentes aves obsequium
sepulture martiris velut homines quidam
rationales exhibuerunt.

Erat interea beatus sergius
valde mestus et tristis, eo quod
esset a sancto bacho separatus, et lacrimans
dicebat. Heu mihi frater et commilito
meus bache. Non etiam psallemus dicentes
ecce quam bonum et quam iocundum habitare
fratres in unum. Devinctus enim es a me.
Ascendens in celum deseruisti me in
terra solitarium et inconsolatum. Hec
eo dicente adveniente nocte astitit
subito beatus bachus claram habens fa-
ciem velut angeli, amictu ornatus
milicie, et dicit ei. Quid molestus
es et deficis frater? Si enim te corpore de-
serui, confessionis tamen vinculo tecum
sum psallens et dicens. Viam man-
datorum tuorum cucurri, cum dilatares cor
meum. Propterea igitur et ipse frater sequere me
per bonam et perpetuam confessionem, ut ad
me cursu consummato pervenias, quoniam pa-
rata est tibi corona. Mane autem
facto exurgens exposuit illis qui
cum ipso erant, in quo habitu beatum
bachum vidisset.

Ibat sequenti die cum exiturus esset
dux de castro barbarissso in castrum
surim iussit sequi beatum sergium, et
rogabat eum ut immolaret. Ille
autem non obediebat, validissimo se sen-
su repellens eius adulationem. Cum
venissent autem in castrum suribus et
antiochus in pretorio consedisset, accer-
sito beato sergio dixit. Impiissi-
mus quidem bachus non obediens sa-
crificare diis, dignam mortem susce-
pit. Tu vero domine mi sergi quare decep-
tricem illam et impiam religionem secutus
in illam te dedisti miseriam? Pudet
enim me iniuria tua, qui maiorum sum
beneficiorum tuorum, erubesco quod po-
tencie prius ipse in causa fuisti
quod ipse quidem in ordine stas coram
qui examinatur, ego vero in era-
minatis sedeo tribunali. Respon-
dens autem christi martir sergius dixit.
Miseria hec et confusio temporalis
magnam in confidencie gloriam affert
apud immortalem regem ihesum christum
filium dei. Utinam in nunc pervenisses